<u>Puncta</u> tam remanifesti quam manifesti a Joanne
Gliński, palat. Lanciciensis nuntio, ad offici-
um et acta castrensia Capitanealia Varsa-
viensia contra protestationem per Vladisla-
um Krosnowski et Alex. ac franc. Magnuslac
nomine Cardinalis Radziejowski, Archiep.
Gnesn. aliorumque suae partis in castro
Ravensi factam porrecta.

ACTUM in Curia Regia Varſavienſi, Feria Quartâ in Vigilia Feſti Sancti Jacobi Apoſtoli, Anno Domini, Milleſimo Sexcenteſimo Nonageſimo Septimo.



D Officium & Acta Præſentia Caſtrenſia Capitanen, Varſavienſia perſonaliter venientes Generoſus Ioannes Glinski, Enſifer Braclavienſ: Iudex Capturalis & Nuntius Palatinatus Łancicienſ: atq; Ioannes Goleiowſki Dapifer Ciechanovienſ: Terræ Halicienſ: ac Samuel Woyna Iaśienicki, Theſaurarius Diſtrictus Rzeczycenſ: Palatinatus Novogrodenſ: Nuntij Terreſtres pro Comitijs Electionis Deputati ſuo, & Illuſtriſſimorum, ac Reverendiſſimorum Stanislai de Lubraniec Dâmbſki, Vladislavien: & Pomeraniæ, Stanislai de Witwica Witwicki Poſnanien: Ioannis à Kierſzenſztein Kryſpin, Samogitiæ, Nicolai Popławſki Livoniæ Epiſcoporum. Stanislai in Oſtrog & Iablonow Iablonowski, Caſtel: Cracov: Supremi, Felicis in Podhayce Potocki Palatini Cracov: Campeſtris Regni, Ioſephi Słuſzka, Caſtellani Vilnenſis Campeſtris, Magni Duc: Lit: Exercituum Ducum. Conſtanti Breza Poſnanien: Raphaelis Leſzcynſki Lancicien: Generalis Maioris Poloniæ, Sigiſmundi Dambſki, Breſten Cuiavien: Palatinorum. tum & aliorum Palatinorum Caſtellanorum Dignitariorum, Officialium Nuntiorum Terreſtrium, Nobilitatis ac deniq; omnium Statuum & Ordinum Regni tuitionem Liberæ, ac innocentis Electionis ſuſtinentium nomine, quam primùm quædam proteſtatio mentalibus, nec unquam probandis referta Propoſitionibus per Generoſos Vladislaum Kroſnowſki, & Alexandrũ ac Franciſcum Magnuskie, Nomine Eminentiſſimi Cardinalis Radzieiowſki Archiepiſcopi Gneſnen: Illuſtriſſimi in Bychow Sapieha Palatini Vilnen: Supremi Magni Ducatus Lit: Exercituum Ducis, aliorumq; ſuæ partis in Caſtro Ravenſi facta, typiſq; promulgata innotuit & ad manus ſuas advenire potuit, ex nunc ſtndendo Status Reipublicæ, ac Liberæ Electionis Conſervationi, tum præcavendo cuivis indemnitati ſuæ, reſervandoq; Actionem liberam reſpectu circumſcripti Honoris ſemper integerrimi nomine ſuorum contra quos de iure venerit, tam remanifeſti quàm Manifeſti, porrexerunt talia

A punċta



puncta. imò Manifestantur. Inprimis cùm optimè norint rebus publicis nil magis officere, ac subditorum interna odia ad ea nunquam se voluisse dare occasionem, imò semper studuisse quieti indeq; moribus, & exemplis Maiorum præcipuum in Electione præsenti partium suarum innocentium fuisse studium. Circa Serenissimos Candidatosq; ex Domo divæ memoriæ Regis dignissimi, ac sæculis memorandi quod tam internæ, quàm externæ ambitionibus quietem Patriam inter turbantibus via præcluderetur, & nunc ad præsens remanifestum non nisi invitos, coactos, ac prouocatos prædicta aggrauatoria læsiuâ veritatis, & Honorum Protestatione accedere adeòq; studio si quæ studio quietis tacenda reuelant debebunt, nequaquam sibi imputanda fore. 2dò. In tota illa Protestatione nullum esse conforme veritatis punctum, vel propositionem, quod enim obijcitur Illustrissimum Episcopum Vladislauien: & Pomeraniæ priùs fecisse Nominationem pro Serenissimo SAXONIÆ DVCE, quàm sit hoc à veritate dissonum, sufficit ad memoriam Vniuersorum Palatinatuum prouocare, sed si istam excidisse arbitrantur, res, & euentus loquitur aliter. Nam quomodo Pars Nostra potuit priùs nominare cum ipsimet Protestantes agnoscant Instrumento suo intitulato *Obwieſczenie do poparcia Wolney Elekcyey*, quod non nisi post abitum illorum accessimus ad Valla & Szopam, inde manifesta posteritas, vel ex ore ipsorum patet, Deinde numquid non illi priùs fores Ecclesiæ vi pulsantes & protrudentes? properârunt, ad Te Deum laudamus obliti illius expediendi in Campo. Innocens verò & defensiua Pars nunquid non aliquot horas insumpsit post abitum partis offensiuæ consulendo quid in tam enormi nec sperato casu læsi Iuris Cardinalissimi factura esset, nec inuenit aliud remedium, nisi Nominationem Personæ Innocentis, ac ab omni Contractu Capitulationum in antecessum expressarum libere succurrere prout de facto nomine contradicente eandem pro Persona Serenissimi Principis SAXONIÆ DVCIS peregit, ac etiam postero die eundem Actum quo stabilius, ac solidiùs ratihaberetur Electio, sub ijsdem Signis Electoraliū Palatinatuum sustinuit, ac omnium plausu in præsentia Legati Serenissimi NEO-ELECTI conclamatum, ac Solennem fecit, quod totam demonstrat partem illam præcipitasse Nos semper hæsisse ac posteriores fuisse. 3tiò. Audeat eadem Protestatio asserere nullam fuisse Contradictionem præcipitatæNominationis Serenissimi Principis de Conti, si Protestantes, & Contradicentes omnes adhuc vivi moriantur res

tur, res non moritura testatur. Si enim nulla obfuit Contradictio, 105 nulla Protestatio, cur Magnificus Mareschalous Comitiorum Diploma non extradidit pro tam plausibili Nominatione certè non aliam ob causam iste insignis Vir continuas manum quam quot Protestationes, tot Contradictiones, ac fere vniversales Oppositiones istam præcipitatam præsumptuosam, trahentem Ius libere Electionis ad certas familias, à tota Nobilitate detorquentem ad particulares Capitulationes libera suffragia à Campo Electorali Præsidentem, in Guardijs numerosè conductis evertentẽ Iura Cardinalia, & omnes Status Reip: facerent invalidam & abortivam Nominationẽ 4tò Dicit ultra eadẽ Protestatio, quòd non præcesserit Statibus Regni de Concurrentia Serenissimi DOMINI PRINCIPIS SAXONIÆ Informatio, ast obstat ante Votum Primatiale, ante Veni Creator, vbi specificè post alios Candidatos, proposuit quoq; Personam Serenissimi SAXONIÆ PRINCIPIS, quod si Orator eius ab Ordinibus eius non fuerit auditus importandum foret studijs pasionatis Partis involventis, omnia quæcunq; Serenissimi Principis de Conti nocitura prævidissent, sed neq; Serenissimi Principis de Conti apparuit ad Status, & Ordines Orator, neq; ullum publicum fecit sermonem, nisi fortè talis requiritur intimatio, qualem contra Leges manifestè Gallicus Legatus uno ferè integro anno exercuit Varsaviæ. 5tò, Non veretur quoq; dicta Protestatio obijcere, quod Serenissimus Neo Electus non est Catholicus, sed quid ad talia reponere quis audeat quod oculus videbit, si aures non audiunt. Quæ non video proferuntur, quod nesciunt Regem esse verè Catholicum, & & iterum Professurum, sed quid? non habent quod obijciant. 6tò. Allegat insuper eadem Protestatio factum esse grave præiudicium prærogativæ Primatiali, quòd non ipse Nominaverit Serenissimum PRINCIPEM SAXONIÆ, ast hoc ab ipso voluerunt & desiderarunt Status Reipublicæ innocentes, cur ipsemet sua se prærogativâ privavit secutus sibi non Statibus, & Ordinibus Reipublicæ placidas partes cur debitum, obligationem munus Iuramentum deniq; suum non observavit, de non tentanda priùs Nominatione, antequam omnes in unum Consensissent muneri suo & vinculo non respondere, & semetipsum exuere, Iure & facultate suâ, adeòq; præiudicium illatum si quodpiam prætendit Primatialis dignitas, à nemine, alio quàm à se ipso conqueratur, & doleat. 7mò. Adstruit demùm

 eadem

eadem Protestatio nunquam somniatam suis pro partibus manifestationem Magnificorum Iacobi in Bartkow Chalecki Venatoris Podlachiæ, & Martini Graiewski, ac si contra Iuramentum Pactorum Conventorum per Illustrem Magnificum Ablegatum SAXONIÆ expletum, quodq; sit reale exhibet Virorum istorum nulla labe notatorum contraria de insimulatione sui publica coram Actis Protestatio. 8uo. Obijcit deniq; Criminosa intaminatis Statibus, & Ordinibus Regni nempe Senatoribus, Dignitarijs, Officialibus alijsq; Personis tuitionem liberæ Electionis sectantibus Auctoratū fautoratum, et Promotionem scissionis & Cunvulsionis Iurium, atq; initum in eversionem Status Consilium, quæ omnia intaminatum zelum ac fidem in Patriam debitam, quàm insoleniter, iniuriosè, ac in sui pænā arguant, vel ex ipsis Contextibus scriptorum partis adversæ pateat, dicūt enim quod Serenissimi PRINCIPIS SAXONIÆ Concurrentia ad Regnum non præcesserit informatio ad Status, quomodo ergo potuit fautoratus, & Promotio scissionis circa subiectum incognitum et extempore insinuatum fabricari; quæ tempus & moram requirunt vt valescant, quomodo Consilium potuit iniri in eversionem Status per eos, qui deserti & relicti in Campo Electorali à suo Primate, nūc primò eversum Statum, divisam Rempublicam, convulsa Iura Cardinalia Liberæ Electionis illachrymati sunt, dum illū abscessisse Campo cognoverunt, damnataq; tali nunquam sperata in Patriam impietate virilibus Consilijs suffragante innocentiâ, obviandum hisce extremis institêre, cùm taliter refutatis mentalibus obiectis, ne silentio præterita pro veris censerentur licet omninò provocatis, ac stimulatis, quæ amore quietis tacenda placerent, pro penitiori omnium informatione non sine gravi doloris sensu deponere. 7mò. Leges sunt claræ, positivæ & quæ Cardinales Interregni censeri possunt, ut Ministri externi removeantur Varsaviâ, & tamen Illustriss. Abbas Polygni, ac Legatus Christianisimi non modò, non expeditus, non modò non monitus scriptis suis lacessens, atq; stringens intima Status Nostri, sed alter etiam in subsidium ipsi adductus Legatus Gallicus Illustriss. Chateneuf, & quod magis dolendum ab Illustriss. & Magnifico Towianski, Ablegato Poloniæ illo ipso tempore, quo jam jam Negotia Electionis fervere cœperant. 2dò. Prohibent solennisimè Leges, ne Gvardiæ militares ad Actum & Locum Electionis inducantur, jam quot Millia hominum exotici Militis, ac etiam Tar-

tarorum

rarorum Magni Ducatus Lithvaniæ visa fuerunt. Testantur id publicæ Magnificorum Nuntiorum Terrestrium expostulationes nullo profectu factæ. 3tiò. Adsunt Leges de methodo eligendi Comitiorum Mareschalci jam qualiter nunc, quo suarum partium effici potuisset Mareschalcus, expedita sit Electio summa indignitate, Confusione ac pænè eversione Reipublicæ Capitatim & Viritim Nobilitatem ad Suffragia pro Mareschalco per aliquot integras Septimanas inducendo, ante quam verò modus iste extortus fuerit, alijs materijs obruendo, ne prorsùs quidquam temporis relinqueretur de more Patriæ & Lege sanandis vulneribus Reipublicæ, sed omnia vulnus essent, quò faciliùs præ meditata Pars illa exequi posset. 4tò. Munus est & quidem Sacramento Iurisjurandi solenne, cujuslibet Senatoris avertere quidquid nocivum fuerit. Iam quomodò Eminentiss. Cardinalis Primas Regni defuit tum huic, tum suo Primatiali muneri, dum Literas Moschoviticas Electionem pro subiecto Gallico ex ratione Fæderis sacri non ambiguis verbis explicantes erupturam in scintillas hostilitatis retinuet apud se nulla facta statibus & ordinibus ante Nominationem ut inter erat tantæ rei Communicatione adeò ut secundarias Literas Minister Moschoviticus necessum habuerit à Principali suo in alias manus tradere. 5to. Ligabatur idem Eminentissimus legibus Comminatoriis hostis Patriæ de non attētanda Nominatione stantibus contradictionibus vel si una Pars absq; alia præsumpserit ligabatur, sua propria sponte in voto ultimo ante Veni Creator Iuramentali facta sponsione quod neminem nominaturus fuisset, qui non esset de Omnium Ordinum Consensu vel cui obstaret Contradictio, sed tamen his omnibus postpositis vno ictu Nominationem sibi tantùm & suis, non verò Statibus & Ordinibus placidam, ac Divisionem prævisam & præmeditatam per se confecit perniciosam quidem in publicum, sed in privatum non inutilem, partibus ijs apud quas tam nullus quam duo Reges faciunt hærere Proventus Reipublicæ, bona Æconomica Regia retineri, Vacantes Palatinatus & Capitaneatus quadam absoluta facultate distribui nullo in publicum emolumento. Divisionem verò istam fuisse præscitam & præmeditatam, vel hoc solùm convincere potest, quod idem Eminentiss. Cardinalis illas tantùm partes idq; satis modicas, quas sciebat Gallicæ factioni obnoxias ob æquitaret. Iam verò ad tot Palatinatus, Terras, ac Districtus Contrarios Gallico sit

eo sic, stantibus in Europa Bellis ac rebus Candidato nec vnicum passum fecerit pro conciliando vel recipiendo Concordiæ sensu. Cavendum est ex iisdem Legibus, ne quispiam concedat sibi licere quod Patriæ quietem turbatam faciat ac morem Patriæ evertat. Iam quomodo Eminentissimus Cardinalis aliam Electionem pro una Septimana ad eundem locum, ubi prima facta, ubi eadem statim postero die, nemine reclamante, per Status, & Ordines viritim, & more Militari congregatos confirmata, & ratihabita Pactis Conventis, & Iuramentis Comprobata, audet indicere sine prævijs particularibus Conventibus, sine præhabitis in Palatinatibus Consilijs quomodo præsumit cessare Conventus licitos & legitimos ad determinanda tandem aliquando infelicia interregni tempora Authoritate producere conatur idem Interregnum (quod finiri cupiunt omnes) iubens literis suis Vniversalibus prorogari Iudicia Capturalia; quid volunt talia nisi Interregnum suumq; Consulatum perpetuare, sufferre omnem priscum morem, protrudere ad Manifesta Rempublicam pericula. Ex ijs itaq; evidentibus ac palpabilibus rationibus & plurimis alijs, quas publicus zelus, sagacitas, atq; rectitudo optimorum Civium penetrare potuit solenniter Nomine Statuum & Ordinum Regni tuentium Liberam Electionem de nullitate factæ Nominationis per Eminentiss. Cardinalem Primatem uti violentæ, ad scissionem præcipitatæ, præsumptuosæ, armatæ, Guardijsq; militaribus stipulatæ, prius, antequam Suff[illegible] Liberæ Electionis ad aliquos [illegible], tum de nullitate præfatæ Manifestationis uti mentalis ex nullo vero obiecto Candido, deq; nullitate Literarum Vniversalium pro Confirmatione Electionis in Diem Vigesimam Sextam Mensis Augusti, ad turbandam Rempublicam extraditarum. Demum de nullitate quarundam Literarum Vniversalium Conventus particulares licitos ac legitimos, quæ in turbido omnia finiat inhibentium, Iudicia verò Capturalia, quò perpetua Dictatura seu Triumviratus Interregni permaneat, unicè Commendantium. Nec non de nullitate omnium similium Scriptorum & Actuum inde subsequendorum: De Validitate verò factæ ELECTIONIS pro SERENISSIMO DOMINO PRINCIPE SAXONIÆ DVCE, uti defensivè in tuitionem Electoralis Campi, uti innocentis, nec ante tempus licitum modis & medijs privatis procuratæ, uti usitata à Majoribus praxi per Congressum more militari Terrarum ac Palatinatuum statim in Crastinum assensu Omnium & Plausu, nemineq; contradicente confirmatæ receptæ, Pactis ac Iuramento Ablegati Serenissimi Neo-Electi Ratihabitæ, tum quoq; de validitate omnium Conventuum & Solennitatum juxta Leges pro futura Coronatione celebranda manifestantur & protestantur.

Correxit Stáwski m. p.

Locus ✠ Sigilli.

Legit Pięnicki cum Copia mp.